



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

8. S. Laurentius Justinianus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

per aquas stratô confecit, & suum cœnobium januis clausis intravit. Vir in spiritu etiam ab ipsis honoratur elementis.

Instructio meritoria.

Transeundæ & nobis multæ aquæ tribulationis, & contradictionis. Ne corpus nos mergat, unum, vel alterum cibum ex delicatioribus huic subtrahere generosè statuamus, adhibitô desuper examine particulari de temperantia, & sobrietate. Quas virtutes ut obtineamus, pro defunctis animabus ante refectionem 5. *Pater & Ave cum de Profundis* recitemus. Summum imperium est, posse temperare gulæ.

Festum S. Laurentii Justiniani
Venetiarum Patriarchæ.

EXHORTATIUNCULA I.

EMinuit scientiis, & doctrinæ donis; at nihili hæc omnia duxit Laurentii humilitas continuò sibi dicens: *Deus est omnia; homo verò, & quæ hominis sunt, nihil.* Fili! quid nos ad hanc doctrinam? sapiamus cum S. Laurentio, & soli studeamus, nosque totos impendamus

H 3

Deo.

Deo. O dilecte! meliorem Deum habemus, quàm cogitamus.

Instructio meritoria.

Quomodo autem? omnia studia nostra inchoemus hodie à S. precibus, & invocatione Divini Nominis, præmittendò videlicet hymnum: *Veni S. Spiritus &c.* omnis enim sufficientia nostra ex Deo est. Dat sua roganti; negat verò superbi.

II.

Post 15. extructa templa, & coenobia, sanctè quievit non ex otio, & desidia, sed ut eò liberaliùs, & ferventiùs scribere posset de laudibus, & Excellentis Mariæ. O fili! sic otari sanctum est, Qui operari desinit, amorem in Deum, & Mariam negligit. Felix corpus, si in Divino, & Mariano conteratur obsequio!

Instructio meritoria.

Scribere didicimus! tributarium ergò nostrum faciamus calamum Deo, & Mariæ, & quoties occurrunt Jesu, & Mariæ Nomina, detectò capite, vel flexis genibûs, & majusculis litteris scribamus.

Nun-

Nunquam calamus sacrator, quàm dum intendit Jesu, & Mariæ. Oremus hodie Litanias Lauretanas, vel de Nomine Jesu. Tristamur? charissime! veniat in cor nostrum Jesus, & Maria!

III.

Factus Venetiarum Patriarcha pro tessera diurna adhibuit illa Pauli verba: *Non auditores legis justi sunt apud Deum: Sed factores legis justificabuntur.* Hinc tanta ei sanctitas, quàm omnibus fieri omnia meruit. Fili! quid hinc vita nostra? multa scimus, plura dicimus; verùm ubi opera? profectò ex nostra peccandi facilitate, & terrenorum cupiditate haud dignoscitur, nos credere paradisum, & infernum esse. O nos ignobiles! indignos Christianæ pietatis discipulos!

Instructio meritoria.

Factores ut nos probemus Divinæ legis, urnulam menstruam, & in urnula totidem schedulas, quibus inscripti sint nobiliores variarum virtutum actus, ponamus, quot dies numerat mensis. Quotidie unam tollamus: Sic nulla dies

transibit sine bono opere, & optatâ meriti, ac correspondentis præmii mercede, Urnulam antequàm assumamus, *Litanias de omnibus Sanctis* præmittamus, Fodiamus, ut reperiamus.

Festum B. Gondisalvi Ordinis
Prædic.

EXHORTATIUNCULA I.

Quis parvulo frequenter ploranti absterfit lacrymas? ostensa B. V. Imago. Et perfectò quis tristetur in oculis Mariæ, quæ Mater, & consolatrix afflictorum? verè S. Ephrem: In Maria invenit captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, & peccator veniam. Quid & nos speremus? fili dilecte!

Instructio meritoria.

Mel in corde, & lac in ore est Nomen Mariæ. Ideo centies, & usque centies hodie ingeminemus: *Ave Maria!* O Magna! ô pia! ô multùm amabilis Maria! tunc nominari quidem potes, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te. S. Bern.